

PROLVSIO.

SI quis imaginem tuam, Sereniſs. MAVRITI, inter hæc regia maiorum tuorum ſimulacra, deſideret, is non me, ſed modeſtiam tuam incredibilem deſiderij ſui cauſam dicat. Cum enim philoſophici mei laboris patronos adlegerem eos Sabaudiæ Principes, qui terrarum patrocinium ſuſtinuiſſent: & impare nimis calamo in Theatro Sabaudę glorię illorum deſignarentur imagines, quos in omnium memoria conſignarunt æterna merita rectè factorum; voluiſſem tui quoq. ſimulacrum vnà deſcribi, cuius potiſſimum ſub vmbra eorum mihi patrocinarentur imagines. Verùm id tentante iam artificis ma-

nu vetitum à te fuit, & ipſo in opere graui quidem imperio interdictum. Nimirùm hæres auitæ virtutis, fugere inter auos tuos voluiſti ſocietatem honoris: & ſanè ſi minùs vmbram, imaginem certè virtutis. Mihi verò integrum non erat tuis nòn parere mandatis, quæ ſeuera tum ſunt cùm imperat modeſtia. Neque enim id voluiſti, quòd artifices Praxitele minores in tui molitione ſimulacri dedignareris: hoc enim fuerit olim alienæ ſuperbiæ; ſed quòd clariſſimæ virtutis lucem fugis: quod eſt modeſtiæ tuæ. Quamquam commodè cecidit, vt hæc mentis inaudita moderatio nec tibi honoris & gloriæ, nec mihi tutelæ, ac patrocinij fuerit detrimentum. Tibi enim (quod ſæpè fit) vbi deeſt corporis ſimulacrum, adeſt maximè animi monumentum, virtus: mihi vero certanti cum cæteri Heroes tui adſint in imagine, tu ipſa præſentia adeſſe voluiſti.

IL-

SERENISS.^{MO} PRINCIPI$^{S.}$
MAVRITIO
CARDINALI
A SABAVDIA.

Erne, MAVRITI, generosa Patrum
Pectora incisis animata saxis,
Quæ theatrali manus allaborat
Pandere circo,
Quantus hic Regum decor enitescit,
Quantus Heroum! stabiliq. lege
Quanta virtutis Proauos per omnes
Spirat imago!

 Spiret

Spiret æternùm, meliorq. semper
In nouos longùm reuirescat annos,
Maior & seris agitata seclis
Fama perennet.

Dum Patrum, Princeps, releges triumphos,
Hic tuæ cernes simulacra mentis,
Nescius cernes tua, dum tueris
Facta Parentum.

Sic & vmbrosæ per amœna noctis
Abditos Phœbi radios videmus,
Syderum Cælo vaga dum videmus
Agmina ferri.

Hic rebellantum premit impotentes
Spiritus Sacræ pietatis ardor.
Hic Auernales malè bellicosos
Conterit angues.

Alta maiestas animi periclis
Altior semper properat negato
Calle, & aduersas domat irruenti
Marte cohortes.

Ipsa sed mitis tamen inter arma
Ingeni spirat vigor, & Sabaudi
Sanguinis pollens nota militari
Ore coruscat.

Ille nam, Princeps, mihi te secundum
Præbet; & votis famulare pectus
Exhibes illo, bonus & nitenti
Inferis axi.
Inferis Cælo, tibi dum fauenti
Iungis amplexu, gremioq. condis:
Namq. MAVRITI micat in benigno
Pectore Cælum.

MAIORVM GLORIA.

O Quæ Gallica proximis
Campis Hesperiæ culmina diuidis,
O fœcunda Potentium
Heroum genitrix, nec minor editis
Heroina Nepotibus;
Semper læta noua luce Sabaudia,
Semper numine prospero
Lucem facta nouam Magnanimi Ducis;
Fœlicissima bellicis
Exercere diem terra periculis;
Augustissima nobilis
Insudare bonis Palladis artibus;
Magnorum arbitra Principum,
Auri prona parens, atq. eadem potens
Aurum spernere pronior,
Inconcussa minis, inuia fraudibus,
Indefessa laboribus;
Dixissem Patriæ pene cor Italæ,
Elata insuperabilis
Sed natura loci te caput Itali

Iussit dicier imperi.
Te vexata feris obsidionibus
Sensit præsidio Rhodos,
Hæc iam solem oculis quærit hiantibus.
Sed pro sole Sabaudiam.
Si Romana vigent sceptra rebellibus
Pertentata furoribus;
Seruata auxilio sceptra vigent tuo;
Sæuo Marte ferocior
Quæ duris rapiens bella Cohortibus
Fluctus obruis hostium
Hostilis tumido sanguinis æquore.
Quid fractas memorem Ducis
Turmas Threicij? quidve gementium
Longas Carceribus moras
Dicam colla iugo libera? nunc tua
Classis ceu Berecinthia
Centum mobilibus cingitur Vrbibus;
Nunc millena reuellere
Gaudet signa pedes: vecta sonantibus
Nunc alis equitum volat
Mauortis rabies, quò Solymæ iuga
Sæuos passa Busirides
Excussisse queant vincula barbara.

Ergo non malè muneri
Responsura tuo prodiga Libani
Cedro culmina germinant;
Nam scribenda Cedro gesta Sabaudiæ.
Lauro littora pullulant;
Nam victoris amant tempora Laureas.
Sed sacras Solymæ Domus
Summi nempe Poli pulchra suburbia
Sit seruare parum: noua
Adiunxisse Polo sydera dum licet,
Et Diuum ordinibus sacros
Heroas meritis addere nobiles.
Decurrentia prodigo
Cælo quisq. volens munera percipit;
Ast illustribus aggredi
Cælum muneribus, cura Sabaudiæ est.

PRAESENTIVM VIRTVS.

QValis tumentes Aethiopum niue
Extollit vndas Nilus, & agmina
Septena conuoluens aquarum
Bella mouet metuenda ponto.
Talis feroci patre ferocior
Stirpis Sabaudæ gloria CAROLVS
Sudore pulcher militari,
Nec sine Cælo operosus heros
In arma gliscit: seu libet hosticis
Inferre Martis prælia mœnibus,
Primus coruscans tela celsas
Sanguineo metit ense turres.
Seu concitatas obuia copias
Fortuna poscit, palmaq. libero
Quærenda campo, nunc Phalanges,
Nunc equites inimicat ira.
Inclusus armis, nec tamen abditus
Spumantis vrgens pectora Cyllari
Agmen cruentum ipse instar immen-
si Agminis imperiosus vrget.

Cernis

Cernis ruentem, ludere dixeris.
Cernis cadentes; perfurere acriùs;
Cunctas & vno in corde credes
Stare animas, ita cuncta replet
Flos bellicosus, turbo minacior,
Fulmen coruscans, Italus Hercules,
Mauors Sabaudus, belliciq.
Eluuies furibunda campi.
Nec Filiorum degener impetus
Alta occupauit pectora, CAROLI
Fœcunda proles sed Paternos
In titulos animosa crescit.
Certat Parenti Natus, & ardua
Virtute Fratrem Frater amat sequi;
Quin Martiali è stirpe nemo
Paruus erit, nisi comparatus.
Damnosa quid vos imminuat dies?
Aetas parentum maior auis tulit
Vos fortiores mox daturos
Progeniem generosiorem.

SPES POSTERVM.

SVrge puberum beata
Surge Proles, & Sabaudo
Perge nexu, perge serto
Illigare verticem.
Ite nobiles nepotum
Ordines quò militare
Robur aduocat parentum,
Ite sæuis præliorum
Incitare pectus ausis,
Dexterasq. comprimendis
Vix idoneas papillis
Explicate mox grauandas
Ensibusq. spiculisq.,
Et paterni mole sceptri.
Surge puberum beata
Surge Proles, & Sabaudo
Perge nexu, perge serto
Illigare verticem.
Pacis alter tractet artes,
Martis alter stringat arma,
Ille ponti cogat arua

Irri-

Irrigata hostis cruore
Germinare dona laurus:
Hic tyrannos bellicoso
Sternat impetu, decori
Pulverisq. nube pectus.
Imbre sanguinis calentes
Temperabit cordis æstus.
Surge puberum beata
Surge Proles, & Sabaudo
Perge nexu, perge serto
Illigare verticem.

Tu Coronis, tuq. Sceptris
Destinata sustinendis,
Tu Triumphis, tu Trophæis
Nata pubes erigendis.
Per pericla, per labores
I secundo Marte fælix,
Vna mundi temperare
Digna molem, sed patentis
Maior vna mole Mundi.
Surge puberum beata
Surge Proles, & Sabaudo
Perge nexu, perge serto
Illigare verticem.

GRATIARVM ACTIO.

HERCVLEM ad muſarum tutelam armatum qui recordatur, non mirabitur hodie Sabaudos Hercules fuiſſe philoſopho patrocinatos. Sæpè enim tradita fuit armis tutela ſapientiæ. Eſt tamen quod mirari iure meritò poterunt omnes; tantum videlicet Auos tuos ſola tuæ imaginis vmbra potuiſſe in patrocinio philoſophiæ, quantum ille ſpirans, ac viuus valuit in defenſione muſarum. Huius autem beneficij vt per te, Sereniſsime Princeps, facta mihi copia fuit, ita vni Tibi debere me ſentio, quod illis debeo vniuerſis.

LAVS DEO.